

nitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat: *nec liceat defendi quod non licet credi; cum secundum evangelicas auctoritates, secundum propheticas voces, apostolicamque doctrinam, plenissime et lucidissime per literas, quas ad beatæ memoriæ Flavianum Episcopum missimus, fuerit declaratum quæ sit de Sacramento Incarnationis D. N. I. C. pia et sincera confessio* ». Edicit scilicet Leo Episcopis in Synodo adunatis non licere aliter credere quam quod ipse plenissime et lucidissime declaraverat. Hinc Act. 1<sup>a</sup> cum quaestio fieret an expositio fidei edita a sanctæ memoriæ Flaviano esset orthodoxa et catholica, Paschasinus dixit: « Sancte et integre et catholice fidem exposuit Flavianus: *siquidem eius fidei expositio cum beatissimi atque apostolici viri Papæ Romani epistola concordat* ». Nimirum cura legatorum praesidentium qui iam doctrinam fidei a Pontifice acceperant, eo spectabat non ut aliquid discerent ab Episcopis, sed ut doctrina romana ab omnibus acciperetur. Et Act. 2. Cum magnificentissimi iudices et amplissimus Senatus, qui pro custodienda pace Synodo aderant, rogassent Patres ut fidei expositionem facerent, reverendissimi Episcopi responderunt se nolle alteram facere expositionem, et Cecropius episcopus veluti eorum sensum explicans dixit: « Emerserunt quæ ad Eutychem pertinebant, et super his *forma data est* a sanctissimo archiepiscopo Romanæ Urbis; *et sequimur eum, et epistolæ omnes subscripsimus* », ceterique clamaverunt: « ista omnes dicimus, sufficiant quæ exposita sunt; alteram expositionem non licet fieri », addentes et illud paulo post omnes: « nos ita credimus, nostrum nullus dubitat, nos iam subscripsimus epistolæ » scilicet Leonis. Cum tamen gloriosissimi iudices et Senatus peterent ut Synodus ipsa expositionem fidei facere vellet, acquieverunt Episcopi illud tamen aperte significantes quænam esset futura norma expositionis faciendæ quæ edita est in actione 5<sup>a</sup>. Haec vero norma erat Nicaenum Concilium, Ephesinum Concilium, fides Cyrilli et Caelestini, et epistola sanctissimi Leonis. Scilicet expositio fidei a Leone proposita connumeratur cum iis de quibus amplius dubitare non licet, quæque regula sunt necessario sequenda a Patribus in Concilio docentibus. Quare Patres in epistola ad Pulcheriam post actionem 2<sup>a</sup> in qua damnatus est Dioscorus, gesta enarrantes, aiunt omnia bene cessisse « Christo ad intelligentiam prospere dirigente, qui ostendit in Leone mirabili veritatem, quia sicut sapiente Petro, ita et isto utitur assertore ». Existere quidem Actione 2<sup>o</sup> Episcopi Illyriciani et Palaestini qui adhuc dubitarent; dubitatio vero versabatur circa sensum quorundam textuum epistolæ Leonis qui illis obscuri erant: unde electi sunt episcopi ex iis qui iam subscripserant, qui *dubitantes docerent*, non tanquam de re adhuc dubia disputa-

rent. Nunquam sane in disputationem adducta est doctrina Leonis. Ergo epistola Leonis a Patribus Concilii adhuc professionem fidei suo nomine edituris habita fuit ut irreformabilis, non secus ac symbolum Nicaenum et Petri doctrina. Id vero non impedit quominus et ipsi iudices extiterint quod actione 4<sup>a</sup> et 5<sup>a</sup> praestiterunt; quæ de re inferius dicendum erit.

Ad Synodum oecumenicam VI scribens Agatho Papa, declarata fide Ecclesiæ Romanæ, eaque tanquam certissima et immutabili regula proposita, monet eam esse confessionem b. Petri, « qui spirituales oves Ecclesiæ ab ipso Redemptore omnium pascendas suscepit: cuius annitente praesidio hæc apostolica eius ecclesia nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est: *cuius auctoritatem, utpote apostolorum omnium principis semper omnis catholica Christi ecclesia, et universales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutæ sunt: omnesque venerabiles Patres apostolicam eius doctrinam amplexi... et sancti Doctores venerati atque secuti sunt.* » Hæc porro Agathonis epistola lecta est in Synodo Act. 4<sup>a</sup>; eamque expansis manibus amplexa est et fideliter suscepit S. Synodus (in decreto fidei Act. 18.). Porro quod in iis literis tradit Agatho de doctrina et auctoritate Romanæ Sedis, non est aliquid veluti indifferens, ad rem quæ agebatur non necessario spectans, sed e contrario erat cum rei summa intime et essentialiter connexum: est enim ratio qua probatur certissimam esse eam doctrinam et tenendam de duplici voluntate, quam Agatho docebat. Et idcirco Imperator Constantinus Pogonatus, qui Synodo interfuit, in literis ad Synodum Romanam testatur quod « *tanquam ipsius divini Petri vocem, Agathonis relationem supermirati sumus*; nemo enim discrepavit, nisi unus ». Ipsique Patres in litteris ad Agathonem inquirunt: « Itaque tibi ut primæ Sedis Antistiti universalis Ecclesiæ quid gerendum sit relinquimus stanti supra firmam fidei petram, lectis libenter veræ confessionis literis a vestra paterna beatitudine ad pissimum Imperatorem missis... Constantino nobis ad decernendum hortatore... hæreticos anathemate interfecimus ex sententia per sacras vestras litteras de iis prius lata ». Unde et Leo II flagitatum a Patribus confirmationem tribuens, hanc reddit rationem, quia « apostolicam in omnibus regulam, et probabilium Patrum doctrinam (Synodus) secuta est; et *quia definitionem rectæ fidei, ut dictum est, plenissime prædicavit, quam et apostolica Sedes b. Petri Apostoli (cuius licet impares ministerio fungimur) veneranter suscepit; idcirco et nos, et per nostrum officium hæc veneranda Sedes apostolica concorditer ac unanimiter his, quæ definita sunt ab ea, consentit, et b. Petri auctoritate confirmat sicut supra solidam Petram, qui*

Christus est, ab ipso Domino adeptis firmitatem ». Verum est igitur quod Agatho in conspectu universalis Synodi, eademque probante, promulgavit: *auctoritatem Romanae Sedis omnem Christi Ecclesiam et universales synodos semper et in cunctis secutas esse*. Atqui in doctrina auctoritatem non sequimur illius quocum tantummodo consentimus, sed illius quem tanquam magistrum et ducem habemus, cuius nempe doctrina regula est nobis cogitandi et iudicandi. Quod si eam auctoritatem *semper et in omnibus* sequimur, eandem habemus ut normam necessariam, a qua deflectere non licet nisi errare velimus.

Ita declarata confirmatione Conciliorum sive antecedente, sive consequente, facta a Romana Sede, hunc in modum argumentari iuvat. Ergo 1<sup>o</sup> secundum Ecclesiae universalis sensum auctoritas suprema et plena definiendi in causis fidei non est *in universitate coetus Pastorum adunatorum cum suo etiam capite, quod ipsis praesit*, ad normam scilicet regiminis aristocratici. Ratio est evidens: hoc enim est auctoritatem supremam et plenam esse in universitate coetus, ut nempe decreta ab eo edita valeant eo quod universitas vel maior pars illius consentit, etsi desit suffragium alicuius vel ipsius praesidentis, possitque universitas decernere ut suffragii oppositi alicuius vel ipsius praesidentis ratio non habeatur. Quod si e contrario votum unius vel eius defectus irritare potest decretum ceterae universitatis, neque in eo coetu ius est decernendi ut illius voti ratio non habeatur, tunc negandum est supremam et plenam auctoritatem esse in universitate. Ita ab omnibus concipitur suprema et plena auctoritas existens in universalitate coetus, idque rerum naturae postulant: si enim nemo ex singulis sed universalitas supremam obtinet potestatem, fieri iure nequit, ut votum unius valeat irritare decretum ceterorum. Iam vero ex dictis circa confirmationem consequentem liquet quod votum Romani Pontificis vel eius defectus potest irritare decretum ceterae universitatis, neque haec decernere potest ut eius ratio non habeatur: ergo.

Ergo II neque suprema ac plena docendi auctoritas est in utroque simul h. e. coetu Pastorum, et Romano Pontifice, *in unione nimirum duorum, Romani nempe Pontificis et Corporis Pastorum, ita ut ex his integretur necessario subiectum supremae auctoritatis*, ad modum scilicet regiminis, ut aiunt, constitutionalis. Cum enim huiusmodi existit subiectum auctoritatis, neutrius quidem partis lex aut decretum valet sine consensu alterius; sed nec una pars alteri praeest, nec auctoritatem regis coetus sequi tenetur. Quare si unus universo coetui ita praeest, ut edicere possit quid decernendum sit, eiusque auctoritatem sequi debeat coetus, ipse in coetu iu-

dex omnium sedeat; nequit dici subiectum supremae plenaque auctoritatis integrari ex illo Uno et universitate coetus. Porro talem esse habitudinem Romani Pontificis ad coetum collectum Pastorum, ut ipse in eo iudex omnium sedeat, ut eius sententia norma sit necessaria ceteris, eiusque auctoritatem sequi Synodus debeat, constat ex dictis quoad confirmationem antecedentem.

Atqui necesse est ut suprema plenaque auctoritas docendi existat in Ecclesia, ideoque sit eiusdem aliquod subiectum; si autem hoc non est vel universalitas Pastorum, vel Pastor supremus simul cum universitate ceterorum Pastorum, restat ut huiusmodi subiectum sit tantum unus ille Pastor qui ius habet confirmandi decreta Conciliorum, et cuius auctoritatem Concilia semper et in cunctis sequuntur. Atqui huiusmodi supremae ac plenae auctoritati docendi omnes parere debent: est autem infallibile magisterium in Ecclesia quod fidem exigit ab omnibus: ergo. Porro de hoc argumento rursus plenior sermo habebitur in th. seq.

Dices: nonne semper in Ecclesia retentum est auctoritatem universalium Conciliorum esse supremam ac plenissimam? Respondeo aliud est eam auctoritatem *esse in Concilio*, aliud est *esse in universitate Concilii*: quod in Concilio oecumenico confirmato a Papa sit suprema ac plenissima auctoritas nemo dubitat, sed quoniam concilium aliquod per se potest esse coetus aequalium potestate, et inaequalium, quaeritur quodnam sit in Concilio Episcoporum subiectum illius auctoritatis, an universitas, an aliqua singularis persona, cui ceterae veluti capiti membra subordinentur. Porro quod huiusmodi subiectum sit universitas, id a Gallicanis quidem retentum fuit, non autem ab universa Ecclesia. Verum de hoc argumento rursus plenior sermo redibit in th. seq.

At nonne in Conciliis requiritur consensus maioris partis, ut decretum ferri possit? Respondeo consensum maioris partis requiri ut *definitio sit conciliaris*; id enim exigitur ex rei natura, nam nequit dici definitio conciliaris ea, in quam concilium non consentit. Non vero requiritur consensus ille ut *definitio valeat et irrefragabilis sit*, si Romanus Pontifex ex se infallibilis est, unde non nisi ab iis, qui infallibilitatem Pontificis negabant, consensus Concilii sive Episcoporum pro valore definitionum postulabatur.

Ex probatis autem constat Romanum Pontificem esse infallibilem ex sese: talis enim est; cuius auctoritas necessario sequenda est a conciliis. Aliam demonstrationem huius infallibilitatis petitam ex habitudine Romani Pontificis ad Concilium et vicissim, dabimus post lit. I.)

G) Constat, occasione schismatis Acaciani, quo Ecclesia orientalis

turbata est, Romanum Pontificem Hormisdam libellum, vel formulam fidei praescripsisse subscribendam ab iis, qui vellent ad Ecclesiae unitatem redire, negata communione Ecclesiae catholicae illis, qui subscribere detractarent: paruisse vero Orientales Episcopos, et ita iis ad unitatem revocatis, pacem fuisse instauratam (Cf. Natalem Alex. H. E. sec. V. a. 16). Porro libellus ille professionem continebat infallibilis magisterii Romani Pontificis (confer. quae dicimus sub lit. L. ubi quoad substantiam idem libellus occurrit). Atqui ex his constat dogma de Romani Pontificis infallibilitate probatum fuisse publica professione Episcopis orientalibus; eiusdemque professionem habitam fuisse necessariam pro obtinenda unitate catholica. Iam vero vel dicendum est quod huiusmodi veritas ea aetate ab universa Ecclesia certa fide iam tenebatur, vel quod satis fuit orientalibus Episcopis quod ea professio ab Apostolica Sede proponeretur, ut eam acceptarent. Utrum vero dicatur, perinde est.

H) Constat explicitam professionem infallibilitatis Romani Pontificis universalem et antiquam fuisse in Ecclesia. Haec satis sit conferre. Cyprianus epist. LV. ad Cornelium de schismaticis ait: « navigare audent ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem... nec cogitare eos esse Romanos (quorum fides Apostolo laudante praedicata est) ad quos perfidia habere non possit accessum ». Hieronymus Apolog. Lib. III, c. 12. contra Rufinum: « Scito Romanam Fidem Apostolica voce laudatam huiusmodi praestigias non recipere ». Et epist. XV ad Damasum... « Cum successore Piscatoris et discipulo crucis loquor. Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuae idest cathedrae Petri communione consocior. Super illam Petram aedificatam Ecclesiam scio... Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum: qui tecum non colligit, spargit, hoc est qui Christi non est, antichristi est... Quapropter obtestor beatitudinem tuam ut mihi epistolis tuis sive tacendarum sive dicendarum hypostaseon detur auctoritas »; et seq. epist. ad eundem. « In tres partes scissa Ecclesia (Antiochena) ad se rapere me festinat... Ego interim clamito: si quis cathedrae Petri iungitur, meus est ». Paulinus diaconus in libello oblato Papae Zosimo ait: « Beatitudinis tuae iustitiam obsecro Domine Zosime Papa venerabilis. Nunquam fides vera turbatur, et maxime in Ecclesia Apostolica, in qua pravae fidei doctores ut deprehenduntur facile, ita veraciter puniuntur ». Theodoretus epist. 116 (ed. Mig.) ad Renatum presbyterum romanum. « Habet illa Sedes (Romana) Ecclesiarum, quae in toto sunt orbe, principatum multis nominibus, atque hoc ante omnia, quod ab haeretica tabe immunis mansit, nec ullus contraria sentiens in illa sedit sed apostolicam gratiam integram conservavit ». Hanc vero immunitatem

non fuisse tantum rem in facto positam, sed propriam ideoque perpetuam praerogativam Sedis, docet epist. 52<sup>a</sup> ad Leonem M. « Multis siquidem praerogativis ornatur Sedes vestra... praecipue autem illam fides ornat ». Pariter Gregorius Nazianzenus in Poemate de vita sua haec habet iis similia v. 562. seqq. « Duos quidem natura non dedit soles, duas at Romas totius terrarum orbis lumina, antiquam potestatem et novam: tantum inter se differentes quantum illa quidem orienti praelucet, haec autem occidenti. At pulcritudo pulcritudinem paribus ponderibus aequat. Quod spectat ad illorum fidem, vetus (Roma) quidem iamdudum, atque etiam nunc recte currit, occidentem totum devinciens salutari verbo (την ἐσπεραν πασαν δεουσα τω σωτηριω λογω) quemadmodum congruum est praesidenti universorum et integram colenti concordiam (in trinitate scilicet) Dei (καθως δικαιον την προεδρον των όλων, όλην σεβουσαν την Θεου συμφωνιαν) ». Nimirum rectae fidei conservatio nexa est cum προεδρια των όλων quae propria est sedis Romanae, et idcirco perpetua est quemadmodum perpetua est dignitas της των όλων προεδριας quam iam S. Ignatius Martyr agnovit et professus est. « Nova autem (Roma), subdit Gregorius, stabat rectis pedibus, nunc vero nequaquam (illam dico meam, iam non meam), sed in profundo iacebat perditionis ». etc. S. Theodorus Studites Epist. L. II. ep. 63. « Testor nunc coram Deo et omnibus, seipsos (haeretici) avulserunt a corpore Christi, et supremo verticali throno in quo Christus claves posuit fidei, adversus quem non praevalere hactenus, nec praevalerunt usque ad consummationem portae inferi, ora scilicet haereticorum: sicut pollicitus est qui non mentitur. Gaudeat igitur beatissimus et apostolicus nomine suo dignus Paschalis (is est Paschalis I) quoniam Petri opus adimplevit ». Concilia idem professi sunt. Verba Agatonis in Concilio VI lecta et probata dedimus in membro praecedente: quibus addi debent quae paulo post subiungit: « Haec est enim verae fidei regula, quam et in prosperis et in adversis veraciter tenuit ac defendit haec spiritualis mater vestri tranquillissimi imperii apostolica Christi Ecclesia, quae per Dei omnipotentis gratiam a tramite apostolicae traditionis nunquam errasse probabitur, nec haereticis pravitatibus depravata succubuit; sed, ut ab exordio fidei christianae percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata fide tenus permanet, secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem quam suorum discipulorum principi in sacris evangelii locutus est: Ego rogavi pro te etc. » Tum Leo IX epist. ad Michaellem Cerular. c. 7. sic interrogat schismaticos. « Nonne a Sede principis Apostolorum, romana videlicet Ecclesia, tam per eundem Petrum, quam per successores suos, re-

probata et convicta aut expugnata sunt omnium haereticorum commenta, et fratrum corda in fide Petri, quae *hactenus non defuit, nec usque in finem deficit*, sunt confirmata? » Cf. et eiusdem epist. ad Petrum Antiochenum. Haec est scilicet praerogativa, quam professus est Gelasius in decreto de scripturis canonicis inquires: « Post has propheticas, evangelicas, atque apostolicas scripturas quibus Ecclesia catholica per gratiam Dei fundata est, illud etiam intimandum putamus, quod quamvis universae per orbem catholicae Ecclesiae unus thalamus Christi sit, sancta tamen romana, catholica et apostolica Ecclesia, nullis synodicis constitutis, ceteris Ecclesiis praelata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit: Tu es Petrus etc... *Est ergo prima Petri Apostoli Sedes romana Ecclesia, non habens maculam, neque rugam, neque aliquid huiusmodi* ». Cuius rei necessitatem a fine declarat epist. VIII. ad Anastasium Imperat. inquires. « Hoc est quod Sedes apostolica magnopere cavet, ut quia mundo radix est Apostoli (Petri) gloriosa confessio, nulla rima pravitatis, nulla prorsus contagione maculetur. *Nam si* (quod Deus avertat, quod fieri non posse confidimus) *tale aliquod proveniret, unde cuiquam resistere auderemus errori, vel unde correctionem errantibus posceremus?* » Ad omnes enim spectat exhortatio Petri Chrysologi ad Eutychem: « In omnibus hortamur te, ut his, quae a beatissimo Papa Romanae civitatis scripta sunt, obedienter attendas: *quoniam b. Petrus, qui in propria Sede et vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem.* » Ex his autem patet ne dum infallibilem Rom. Pontificem esse sed infallibilem ex se se; talis est enim qui ratio est infallibilitatis ceterorum cuiusmodi ab his testibus vel pluribus ex illis praedicatur.

Idem et graeci post florentinam Synodum agnoverunt, pro quibus testis sit Georgius Trapezuntius in epistola ad Cretenses de una sancta catholica apostolica Ecclesia (penes Leonem Allatum Graecia Orthodoxa T. 1) inquires n. 12. « Credendum siquidem est fieri non posse ut Romana Ecclesia quae prima est, et per quam universalis Ecclesia habet ut una sit, in haeresim labatur. Etenim si ipsa cum haereticis aberraverit in quamnam unam et sanctam nos Christiani credemus?... Audiamus Christum Servatorem: *Tu es Petrus, inquit, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalent adversus eam. Portas heic inferi haereses vocat etc.* ».

1) Constat Ecclesiam universam in sollemni professione fidei professam esse Romani Pontificis ex se se infallibilitatem. Nam 1) Patres Concilii oecumenici VIII, maiorum vestigiis inhaerentes (eandem enim professionem ediderant Orientales Episcopi subscribentes fidei

formulae praescriptae ab Hormisda) hanc solemnem ediderunt professionem. « Prima salus est rectae fidei regulam custodire. Deinde a constitutis Dei et Patrum nullatenus deviare. Unum quippe horum ad fidem pertinet, alterum ad opus bonum; sicut enim scriptum est: sine fide impossibile est placere Deo, sic rursus legitur: fides sine operibus mortua est. Et quia non potest D. N. I. C. praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam: haec quae dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper servata religio, et sancta celebrata doctrina. Ab huius ergo fide et doctrina separari minime cupientes, speramus ut in una communione, quam Sedes Apostolica praedicat, esse mereamur, in qua est integra et vera Christianae religionis Soliditas. Et patrum, et praecipue Sanctorum Sedis Apostolicae praesulum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes haereres... quoniam, sicut praediximus, sequentes in omnibus apostolicam Sedem, et observantes eius omnia constituta speramus ut in una communione, quam Sedes Apostolica praedicat esse mereamur, in qua est integra et vera christianae religionis soliditas ». Haec formula, quae lecta est in actione 1<sup>a</sup>, est certe professio fidei; exponitur enim et suscipitur *rectae fidei regula*, agitur de fide et doctrina a qua nemo separari potest, omnesque haeretici anathematizantur. Porro in eadem sessione interrogantibus legatis Romanis: Placet omnibus vobis libellus iste (qui eam professionem continebat), tota sancta Synodus exclamavit: « iuste et convenienter lectus nobis libellus expositus est a Sancta Romanorum Ecclesia, et propterea omnibus placet ». (1) Actione vero II omnes subscripserunt: « Detulimus, inquit legati, libellum a S. Romana Ecclesia, a Sanctissimo Papa Adriano, *mandatum ab eo accipientes exigere a vobis fieri ipsum libellum, et sic vos suscipere: vultis ergo facere quod iussum est a Sanctissimo Papa Adriano?* Episcopi dixerunt, volumus, et placet nobis, et subscribimus ».

Iam vero manifestum est in ea fidei professione contineri professionem magisterii ex se infallibilis Romani Pontificis. Asseritur enim 1) *quod in Sede Apostolica immaculata est semper servata religio, et sancta celebrata doctrina*: et 2) id dicitur probatio esse ab effectibus veritatis verborum Christi: Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam: quo aperte docetur factum il-

(1) Si quae humana sunt, atque affectibus mundanis debentur, quibus et Patres existentes in Synodo sollicitari possunt, secernas ab iis quae ab iisdem synodaliter sub assistentia Spiritus S. fiunt, quaeque sola auctoritatem habent, evidens erit nullam vim minui huic universali subscriptioni eo quod deinceps secundum humanas rationes minus ea probata fuerit Patribus graecis, qui nihilominus tandem Spiritu S. moderante consensum praestiterunt absolute.